



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. VI. De probatione veri amatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

7 Est amor velox, sincerus, pius, iu- ^{1. Cor. 13.}
 cundus & amœnus: fortis, patiens,
 fidelis, prudens, longanimis, virilis, &
 seipsum numquam querens. Vbi enim
 seipsum aliquis quærit, ibi ab amore ^{1. Cor. 10.}
 cadit. Est amor circumspectus, hu- ^{Phil. 2.}
 milis & rectus: non mollis, non leuis,
 nec vanis intendens rebus; sobrius,
 castus, stabilis, quietus, & in cunctis
 sensibus custoditus. Est amor subie-
 ctus, & obediens prælatis, sibi vilis &
 despectus, Deo deuotus & gratificus,
 fidens & sperans semper in eo, etiam
 cum sibi non sapit Deus: quia sine
 dolore, non viuatur in amore.

8 Qui non est paratus omnia pati,
 & ad voluntatem stare dilecti, non
 est dignus amator appellari. Opor- ^{Rom. 8.}
 ter amantem, omnia dura & ama-
 ra, propter dilectum libenter ample-
 cti; nec ob contraria accidentia, ab
 eo deflecti.

CAP. VI.

De probatione veri amatoris.

1 **F**lli, non es adhuc fortis & prudēs
 amator. Quare Domine? Quia
 propter

propter modicam contrarietatem deficiis à cœptis, & nimis auidè consolationem quæris. Fortis amator stat in tentationibus, nec callidis credit persuasionibus inimici. Sicut ei in prosperis placeo, ita nec in aduersis displiceo.

Phil. 8.

2 Prudens amator, non tam donum amantis considerat, quàm dantis amorem. Affectum potiùs attendit, quàm censum: & infra dilectum, omnia data ponit. Nobilis amator, non quiescit in dono, sed in me super omne donum. Non est ideò totum perditum, si quandoque minùs benè de me, vel de Sanctis meis sentis, quàm velles. Affectus ille bonus & dulcis, quem interdum percipis, effectus gratiæ præsentis est, & quidam prægustus patriæ cælestis: super quo nō nimiùm innitendum, quia vadit, & venit. Certare autem aduersus incidentes malos motus animi, suggestionemque spernere diaboli, insigne est virtutis, & magni meriti.

Mat. 4.

3 Non ergo te conturbent alienæ phantasiæ, de quacumque materia ingestæ. Forte serua propositum, & intention-

entionem rectam ad Deum. Nec est illusio, quòd aliquando in excessum subito raperis, & statim ad solitas ineptias cordis reuerteris. Illas enim inuitè magis pateris, quàm agis: & quàm diu displicent & reniteris, meritum est & non perditio.

4 Scito, quòd antiquus inimicus, omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, & ab omni deuoto exercitio euacuare: à Sanctorum scilicet cultu, à pia passionis meæ memoria, à peccatorum utili recordatione, à proprii cordis custodia, & à firmo proposito proficiendi in virtute. Multas malas cogitationes ingerit, vt tædium tibi faciat & horrorem: vt ab oratione reuocet, & sacra lectione. Displicet sibi humilis confessio, & (si posset) à Communionem cessare faceret. Non credas ei, neque cures illum, licet sæpiùs tibi deceptionis tetenderit laqueos. Sibi imputa, cum mala inferit, & immunda. Dicit illi: Vade immunde spiritus, erubescet miser, valdè immundus es tu, qui talia inferis auribus meis. Discede à me seductor pessime, non habebis in me partem vllam: Mat. 4.
& 16.

sed

sed IESVS mecum erit, tamquam bel-
lator fortis, & tu stabis confusus.
Malo mori, & omnem pœnam subire,
quàm tibi consentire. Tace & obmu-
tesce, non audiam te ampliùs, licet plu-
res mihi moliris molestias. Dominus
illuminatio mea & salus mea, quem ti-
mebo? Si consistant aduersum me ca-
stra, non timebit cor meum. Dominus
adiutor meus, & redemptor meus.

Pf. 26.

Pf. 26.

1.

Tim. 6.

5 Certa tamquam miles bonus: &
si interdum ex fragilitate corruis, re-
sume vires fortiores prioribus, confi-
dens de ampliori gratia mea: & multũ
præcaue, à vana complacentia & su-
perbia. Propter hoc multi in errorem
ducuntur, & in cæcitatem panè incu-
rabilem quandoque labuntur. Sit ti-
bi in cautelam, & perpetuam humili-
tatem, ruina hac superborum, de se
stultè præsumentium.

C A P. VII.

*De occultanda gratia, sub humili-
tatis custodia.*

FILI, utiliùs est tibi & securiùs,
deuotionis gratiam abicondere,
nec